



Dissertatio juridica inauguralis ad leg. CCVII. de reg. jur. antiq.

<https://hdl.handle.net/1874/345237>

35.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

A D

Leg. ccvii. de Reg. Jur. Antiq.

Q V A M,

FAVENTE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicī consensu, & Nobilissime

Facultatis JURIDICÆ Decretō,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
rite ac legitime consequendis.

Eruditorum Examini subjicit

JOANNES ALTHUSIUS, Amstel. Batav.

A. D. 30. OCTOBRIS, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lcc xciii.

VIRO CONSULTISSIMO.

Qui Nobilissimis Dominis

Societatis Indiæ Occidentalis

in Belgio Directoribus

A Consiliis & Secretis.

D. JOANNI ALTHUSIO,

J. U. D.

Patri naturâ , plus curâ , plus consiliis ,

munificentâ Mecœnati & indulgentiâ ,

Patrono sua cui debet omnia ,

in pietatis , gratitudinis , officii

perenne testimonium ;

Hanc Thesin , se & cuncta quæ sibi

vovet , dat , dicat , dedicat ,

Gnatus , alumnus , cliens , sermonis Auctor.

D I S S E R T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S
A D

Leg. ccvii. de Reg. Jur. Antiq.

Vlpianus.

Res judicata pro veritate accipitur.



Uum juris exercitationi dатuro ope-
ram honestam ab Academia, quæ al-
ma fovit aluminum, missionem petere
incumbat, & depositorum ibidem ty-
rociniorum testimonium; hoc & ego
quo ritè consequerer, officio meo deesse
nolui, sed moribus obsequens, ex rastro
legum volumine materiam conficiundæ aptam dissertationi
tractandam, eligere in animum induxi. Atque hoc
quidem agenti mihi mecum, obtigit idem, quod illi,
cui opiparæ & dubiæ cœnæ lauta nimis copia mentem
ambiguam reddit: pluribus tandem repudiatis, dulcedi-
ne suâ non minus jucundâ, quam brevitate nervosâ
mentem sibi, ut Syrenum quodam rapuere cantu Antiqui
Juris Regulæ, atque inter eas micans CCVII, quæ
judicatam rem pro veritate haberi pronunciat, in sui
contemplationem traxit attentum. Cujus proin intelle-
ctum, veritatem, æquitatem & effectus pro virili ex-
plananti Tu Lector mente fave & oculis.

4 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

T H E S I S I.



T quid quo^so ad sui examen nos invitat prius, quam id , de quo sermonem hoc loco instituit JCtus , res nempe *judicata* ? quæ clarè ob oculos ponì haud poterit , nisi notetur maximè , multis iisque toto cœlo diversis rebus indicandis has voces inservire ; de his enim cogitanti , haud dubiè notatum erit , ipsam eam sententiam , quæ ab Judice profertur , s^æpenumero hoc gaudere nomine: dubitans modo consulat ! . 14. Cod. de Appellat. visurus rem *judicata* ibidem notare *sententiam* *Judicis ore* , dum pro tribunali sedet , jamjam *prolatam* ; quæ certè significatio nullâ ratione nostro congruit negotio , quum ibidem & scriptis & viva voce , & præsenti & in sequenti tempore concedatur appellatio. Præterea s^æpe *res decisa* omni eo tempore , quo *appellationi* locus conceditur , *judicata* *audit* ; uti clarè colligimus tam ex modo d. l. quam etiam ex l. 7. § 11. D. de *Transact.* quoniam vocat apertissimè rem *judicata* eam , quæ *decisa* est , sed tamen de qua lis pendet adhuc , vel post quam obtinet *transactio* ; argumento satis perspicuo , nomen hoc dari diverso planè sensu rebus diversis . Neque movere nos deber aliorum argumentum , quod petunt ex l. 23. §. 1. D. de *Cond. Indeb.* , quoniam ex eâ lege id modo patet , *rem decisam* & intra decem dies & post eas *vocari* *judicatam* , imprimis , quia idem legibus supra adductis suâ sponte liquet . Quibus profectò notis , magnis nos & multis extricabimus dubiis , quæ alias commodè expediri nequeunt ; quod nempe jam post rem *judicatam* *appellatio* , *transactio* & similia concedantur , dein aliis locis strictè negentur eadem.

T H E S I S F I.

Veram ergo harum vocum , citatâ lege , non impropriam si desideras

A I N A U G U R A L I S . I C

deras interpretationem, meliora cūdere verba nequeo, quam quæ nobile JCTorum par, Modestinus, summi vir ingenii, & politissimus arte Paulus adhibent; quorum ille ait: *rem judicatam esse qua finem controversialium pronunciatione Judicis accipit, quod vel condemnatione vel absolutione contingit.* Hic autem quod *causa* sit per sententiam *Judicis terminata* continentem vel *condemnationem*, vel *absolutionem*, vel aliud *equipollens*. *I. I. D. de Re Jud.* Optima profecto verba, & quæ singula maximè consideranda. Nonne enim hinc sequitur, genus rei *judicatae* (utar tuâ vniā hoc vocabulo) minimè esse sententiam *Judicis*; hæc enim distincta admodum confundenda inter se haud quaquam veniunt: quoniam licet Modestinus genus non exprimat, contrarium concludere datur. Paulus scilicet egregiè supplet, quod sit *causa*, quæ quam longè ab sententia *Judicis* distet, quivis novit, qui hanc *decretum Judicis super re, qua controversialiam subit*, illam *rem super quâ decernitur*, ex primis juris definitiōnibus didicit. Verum clarissimè idem videbit animadvertisens distincta sibi opponi hæc duo nostro in textu, dum *unum* consideratur, ut *causa*, quæ *constituit rem judicatam* in suâ naturâ, valorem ei & jus conciliat; alterum vero ut *effectus ex vi* hujus *sententia lata modo resultans & vim consequens* suam; denique hinc quisque concludet, quoniam *disertè res judicata* in definitione adductâ *finem accipere suum* dicitur ab *Judicis pronunciatione*, ergo omnino oportet, ut ab hac, quæ eadem sententiae *Judicis* mente conceptæ, vivâque expressæ voce, discreper; nisi eandem eodem sensu rem *sbimet suum dare exitum* cuiquam lubeat; nequid dubitetur, en leges quæ dicta clarè evincunt, nempe. *I. §. I. D. de Recep. Arbitr. §. 2. Instit de Offic. Jud.* Concludamus ergo liberè, quod quum res id omne sit, quod in *judicium* venit eo fine ut super eo jus dicatur, *rei judicata nomine hic intelligendam omnem rem jam planè decisam ab eo, cui judicandi potestas jure competit.*

T H E S I S III.

Individua porro hujus describitur Modestino proprietas, sine quâ res *judicata* non esset, quod nimirum *finem* sive *ultimum controversialium exitum* accipiat; id est, quod ea res, super quâ antea inter partes litigantes

6 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

gantes contendebatur coram Judice, & cuius hactenus ambigua erat decisio, cui parti absolutio, cui contra cederet damnatio, jam omnem ansam & occasionem litium ulterius super eam movendarum perdit, quum enim controversia sit certarum personarum de eadem re contentio vel lis, ubi haec ultimum sortita finem est, per se profecto interfert, ne de eam in posterum agatur; si namque agere adhuc daretur, quo queso jure finem controversiarum accipere dici posset? Atque eam quidem ratione res judicata omnino distinguenda iterum erit ab eam re, super quam interlocutoria Judicis sententia aliquid decernit, (eo tempore, quo super re decernenda principali contentitur, sive in initio, sive medio id agat, vel sub finem) quod per se tamen ad primariam rem non spectat; hoc enim ad litis progressum, præparationem & procedendi modum quidem, neutiquam ad finem pertinet, l. 14. D. de Re Jud. Ubi tale jussum vetitumve Prætoris clare opponitur sententiæ definitivæ: & adhuc idem nitidius docet, dum expressè ait, interlocutiones universim plerumque ne ullam quidem causam perimere, id est, peremptoriè ad finem deducere suum, neque definire, l. 9. Cod. de Sent. & Interl. Hinc itaque causa illa, quæ hoc loco finem imponit controversiæ, & rem constituit judicatam, non talis interlocutoria est; quippe quæ contrario ejusdem Judicis imperio repeti, emendari, tollique potest, adeoque finem neutiquam imponet, præunte l. 14. D. de Re Jud. Ubi definitivæ interlocutorias opponi hoc nomine clarum est. Imo vel ipse Judicis successor has corrigere & tollere, si consultum visum, poterit. l. 9. Cod. de Sent. & Interl. Itaque pronunciatione notatam putamus sententiam definitivam, quæ litteram ipsam determinat, atque definit. Quippe cui contraria immutabilitatis vis inest, ut liquet ex l. 14. D. de Re Jud., & haec vox ideo alteri hoc loco præferenda, quia verbis explicitam mentem Judicis, non animo modo notam sententiam designat.

T H E S I S I V.

Neque consideratione nostrâ digna minus est, quæ hanc profert pronunciationem persona, quam eadem voce uterque Auctor Judicem vocat, cuius hanc habet definitiva pronunciatio vim, ut hinc suum sortiatur

fortiatur exitum controversia. Judices vero qui, quot & quales sint, qui hac potestate soli gaudent, elegantius descriptos dare tibi nequeo, quam premendo vestigia Pauli Lib. V. Recept. Sent. Tu. V. §. I. Unde dicens est, *rem judicatam facere Magistratus tam Urbanos, qui in ipsâ Urbe jus dicebant, quique proinde reliquis ordine proceribus præcellebant, quam Provinciales, qui in devictis Regnis, Imperiis & Rebuspublicis a Senatu Populoque Romano juri dicundo constituti: aut etiam illos, quibus ab his hoc est datum negotii; nec non Municipales, qui in Urbibus constituti erant, quæ Romanæ civitatis titulo gaudebant, dummodo in certam & præfinitam summam decernant, quoniam aliâs non hanc obtineret vim, dum his de omni summâ pronunciare ne quidem, longè minus peremptoriè decernere licitum sit l. 28. D. ad Municip. imo eadem iis erat concessa, qui ab Imperatore dati sunt, licet extra ordinem.* Quæri verò magis adhuc posset, an etiam arbitri eo se extendat auctoritas, ut pronunciatione suâ rem faciat judicatam? quum enim, consentiente hic utrâque parte, extraordinarius sit *Judex*, dubitari posset, an quidem tantâ pollet excellentiâ? Et respondendum arbitror, eum, si legitimus sit (id est, si ab Magistratu datus est partibus consentientibus huic electioni) omnino suâ pollere sententiâ; nam quum ipsi hoc datum sit ab eo, qui hujus habet potestatem, & receptus sit ab iis, quorum interest, cur sententiæ dicendæ adhiberetur, ni ea valeret? Adeo, ut licet hic in ipsam servitutem fuerit postea depulsus, tamen suâ faciet sententiâ rem judicatam dictâ eo tempore, quo adhuc libertate inæstimabili fruebatur, teste l. 2. Cod. de Sent. & Interl.

THEISIS V.

Ultimô denique bini illi exponuntur modi, quibus solis pronunciaris potest facere rem judicatam, nimurum quod illud vel *absolutione*, vel *condemnatione* plerumque fiat, *Judex* namque sententiam suam ferendo super eâ re, quæ judicium subit, alterutrum horum necessariò debet agere, ut eum qui petit vel accusat, justè poscere & criminari, & consequenter reum ejus postulationi satisfacere debeare, sive restitutione quâdam, sive mulctâ, sive poenâ corporali vel capita-

8 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

capitali &c. vel horum planè contrarium decernat; quorum prius
damnare, condemnare &c., posterius verò absolvere plerumque
nominatur: Quam definitionem & nomenclaturam vide sis Inst. de
Offic. Jud. & etiam l. 3. Cod. de Sent. & Interl.

T H E S I S V I.

Elegantissimus pariter atque amoenus se jam hic campus specu-
lationi panderet ad meditationem antiquitatum Romanarum, ut
inde flosculos decerpentes scrutaremur varios illos modos, quibus
suam efferebat hanc pronunciationem Judex. Verum ut amoena-
tate hoc suā animum demulceret, ita vagando extra oleas, ad va-
stam molem contra institutum meum cresceret dissertatio. Si ta-
men obiter notare lubet, quibusnam loquendi aptis formulis, quā
linguā, quo corporis habitu, sedensne an stans in tribunali, ipsene
an per amanuensem, an in ipso Judicij loco, an vero alibi, an hoc
an illo tempore judicare, & judicata proferre teneatur Judex, vi-
de l. 59. D. de Re jud. l. 6. Cod. de Sent. & Interl. l. 3. §. pen. & ult. Cod.
Ubi Senator. l. 2. Cod. de Sent. ex. peric. recitand. l. 48. D. de Re Jud. l.
12. Cod. de Sent. & Interl.

T H E S I S V I I.

Majoris certè erit necessitatis ea non perfunctoriè percurrere,
qua requiruntur ad hoc, ut res verè pro *judicata* haberi possit; atque
ea varia dum sint, hāc serie commodum referam. Primò nempe
ne ea sententia, cuius pronunciatione res *judicata* evagī, lata sit
contra normam *judicandi* scriptam, vel etiam contra alias res prius
judicatas, sive disertè idem contingat, sive etiam fucatā ratio-
ne: hoc etenim quotiescumque obtinet, tota sententia (atque
proinde etiam id omne quod inde dependet) ipso jure nulla erit;
neque majorem habebit auctoritatem, quam si prolata nequidem
fuisse. Neque mirum hoc videri debet; nam quod contra rem
judi-

judicatam fertur, vim nec auctoritatem possidet, licet ne provocacionis adminiculo usi sint condemnati per l. 1. Cod. Quand. provoc. non est nec, patetque idem inde, quia alias res judicata non esset certa veritas, ut in hac nostrâ regulâ statuitur. Idem quoque obtinebit, si contra jus lata sit manifestè, per l. 2. Cod. Quand. provoc. non sit nec., l. 32. D. de Re. Jud. Non enim jure profertur quæ contra leges pugnat, vel contra rigorem juris, vel Senatusconsulta expressa, vel Principum constitutiones, scribente ita Modestino l. 19. D. de Appell. & Relat. Deinde etiam oportet ut sententia hæc dicta sit præsente reo, & omnibus iis, quos causa contingit. l. 47. D. de Re. Jud. postulante profecto hoc æquitate, quoniam jus fieri non creditur ei, quem causa tangit, dum ipse præsens non est, habituro forsan adhuc quo se defendere posset. l. 17. §. 1. D. de Inoff. Test. nisi forsan quum contumax reus fuerit, suâ culpâ judicio cito absens, tum namque post solennes citationes judicio nisi se fiscat, negligentis ratione res judicata haberi poterit: non vero tanget eos, qui non sunt in neglectus culpâ, l. 14. D. de Appell. & Relat., ut itaque ob causam santicam absens damnari nequit. l. 27. §. 4. D. de Recept. Arbit. collatâ huic lege 60. D. de Re. Jud. l. 7. Cod. Quom. & quand. Jud. Sent., sic etiam ubi edictis legitimis evocatus dicto tempore suâ culpâ non adsuit, res erit judicata, l. 8. & 9. Cod. Quom. & quand. Jud. Sent., denique contra solitum judiciorum ordinem sententia non pugnet, l. 4. Cod. de Sent. & Interl. neque sub conditione quâdam propositâ non absoluta esto, ut congruat l. 1. §. 5. D. Quand. App. sit. Ita namque dubia foret sententia, quum interim de ejus sit naturâ, ut omnino certa fiet.

T H E S I S V I I I .

Expositâ ergo naturâ rei judicatæ, de quâ hic loquitur Ulpianus, videndum porro incumbit quid de eâ dicat, nempe pro *veritate accipi* vel haberi. Ad quod ritè agendum minimè opus puto, varias significaciones, quas patitur *veritatis vox*, enumerare anxiè, & afferre quid Ethicis, quid Logicis, quid contra Physicis notet. Sufficiet enim abundè scire, quod omnis judicij necessitas in eo modò versetur, ut terminetur lis inter eos, qui dum de eâdem re

30 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

contendunt, tamen æquum vel iniquum ipsi vel non vident, vel videre nolunt: hinc ut justitia fiat, oportet, idoneus, potens & extra partes constitutus decidat, cui jus competat ex contendenti-
bus: juris verò hujus norma vel innata omni mortali Lex recti
& æqui, vel scripta quædam & priori huic innixa, vel denique
hisce par consuetudo habenda; quando itaque hisce tribus, vel
uni ex iis congruit ea sententia, quam tulit Judex, tum in eâ ve-
ritas obtainere dicitur, quæ ergo hoc in casu est convenientia *Judicij*
cum normâ secundum quam *judicandum* est. Prorsus ut pro veritate ha-
beri idem notet, ac estimari ita *judicatum esse reverâ ab iudice*, nii se-
cundum *judicandi normam* *judicare omnino deberet quavis*. Adeoque
quod, uti certa, fixa & immutabilis planè est veritas inconcusso
nixa fundamento, ita & hanc rem *judicatam stabilem esse*, sive
rem decisam justè decretam. Nihil proinde minori labore quam
sensus hujus legis jam patet, quâ quippe cavitur, ut *controversia*
*ab iusti *Judicis* debitâ pronunciatione debitè decisa*, post appellandi tempus
elapsum aquâ certa & vera estimetur ab unoquoque, ac si ipsa nuda foret
veritas.

T H E S I S I X.

Quemadmodum vero universum *jus Civile*, ita & hæc maximè
lex justo & æquo innititur fundamento; exigente hoc imprimis
publicâ *judiciorum auctoritate*. Quid enim, an non in primâ so-
cietas fabricâ, omnia membra contensere, ut conferretur *judicandi*
potestas in certas numero personas huic vacaturas negotio, ne-
quid detrimenti unus per alium caperet? quod agendo, eo ipso,
unusquisque sibi ipsi vim in suâ causâ *judicandi omnino ademit*,
neque ullo modo vindicare sibi iterum potest, nisirupto firmissi-
mo societatis vinculo; proinde ut collata semel hæc in *Judicem*
auctoritas farta maneat tectaque ab omni labore immunis, ne ex-
aminare quidem licebit plebi vel populo, an jus an *injustitia* in
decisione *Judicis* obtineat; id namque si liceret adhuc, quum mor-
talium quisque sibi proximus sui amore cœcus abripiatur, profecto
semper victoriam spirans causam prosequeretur, neque aliud *Ju-*
dicis

dicis aliud plebei verba sonarent, quod quahtam Rerum publicarum calamitatem secum rapiat, prudens quisque judicio perpendat, & rerum ex historiarum monumentis natâ experientiâ. Deinde quum lis omnis pro subiecto agnoscat suo vel vitam, vel corpus, vel famam bonavè alicujus qui in eâ societate ut membrum degit æratem, & nihil possit pejus esse Reipublicæ, quam quod incertum sit, ad quemnam horum pertineat justum dominium, dum ita injusto forsan cedit domino præda, quanta cura, quis labor quæ circumspectio adhibenda est ut hoc ritè constet? Constat vero ne quidem unquam, nisi post compositionem contendentium; quæ non erit, quandiu non latum sit irrevocabile judicium; quod non poterit esse, nisi firmum id & adeo immutabile sit, ut nunquam postea magis de eo dubitari liceat, quam de veritate maximè compertâ; quapropter vel hac denuo ratione constat, quanto Imperiorum, Regnorum, & Rerum publicarum commodo splendeat hæc regula, quanta incommodorum serie premeret eadem statutum huic contrarium. Verum non omni modo societati, sed & cuivis membro, quantum fieri potest, prospicere debet lata ab prudenti Magistratu lex; quod iterum in nostra lege clarè innotescit: nam quum alicui, qui quidquam possidet, calamitosius quid evenire vix queat, quam ratione subortus metus, & anxius timor ne de hac aliquando fortunâ deturbatus, bonis, famâ vel dulci vitâ decidat; quantâ prospicientiâ agere debet Judex ut hoc payore subiectos liberans, firmam ipsis possessionem procuret? Nullus autem opinor inficias ire sustinet, certum aliquem esse non posse, intentâ semel super his lite, nisi sotpâ eâ Judicis auctoritate firmâ. Si enim nosset vel latô hoc in suum favorem judiciò, postea nihilominus posse vel ab hoc ipso, vel ab aliis Judicibus sententiam revocari & planè mutari, adeo ut jam sententiâ Magistratus liber, mox fieri posset reus, non haberet, quo foret devinctus Magistratui, tutus ab adversâ parte & animo quietus: subiret quippe mentem anxiam hac cogitatio; posse se aliquando ab eodem hoste impetri, posse præsentibus futurisque spoliari bonis, posse denique post ultima fata conjugem thori, chara pignora, amicos vel hæredes molestias pati summas & iis privari, quæ in horum etiam commodum solers industria paravit. Perderet itaque hanc utilitatem, hoc donum, quod ut caperet, quisque ex statu naturali in civilem transiit, ani-

12 D I S S E R T A T I O J U R I D I C A

mi tranquillitatem ; laboraret eo infortunio, quod ut vitarent mortales, in unam, antea dispersi, coniverunt societatem. Contra vero composita irrevocabili modo lite, omnis ille scrupulus planè & plenè eripitur.

T H E S I S X.

Tam latè porro se extendit modò explicata lex, ut per omne jus se diffundat: paucas modò maximè notandas describemus sequelas. Quarum prima esto, neminem aliquid, quod solvit, licet indebitum, post rem judicatam posse repetere; quamvis postea possit demonstrare se indebitum soluisse. l. 36. *D. Fam. Excis.* Ubi qui condemnationibus factis pecuniam solverat indebitam non posse repetere dicitur, quoniam ex causa judicati solvit, sive ex auctoritate sententiae Judicis. Imo ne quidem obtentu novorum instrumentorum restitui sententiae valent. l. 35. *D. l. 4. Cod. de Re Jud.* Neque retractatio ejus fiet, quia res judicata tum facit ut indebitum debeatur. l. 1. *Cod. de Cond. Indeb.* collata lege 2. *Cod. de Compens.* Adeoque etiam appellationibus & instaurationibus post debitum tempus, id est, cum sententia rem facit judicatam, locus nullus erit l. 1. §. 5. *D. Quand. app. & int. qua temp.* l. 3. *Cod. ut lité pend.* Altera consequentia est, omnes sententias & res judicatas contra hanc rem judicatam, prius quæ contigit, nihil valere. l. 1. *Cod. Quand. provoc. non est nec.* & supra Thesi vii. Non enim ferri possunt de eadem re diverse & oppositæ sententiae. Tertium consequitur, quod neque ipse Princeps rescripto suo rescindere possit sententias, ut docet l. 3. *Cod. Sent. R. se. non poss.* Ubi inquit, *rescripta imperata non posse admitti, quæ rei judicata repugnant.* Rescripto scilicet non potest rescindi sententia a quâ non est appellatum, hoc est, quæ facit rem judicatam, ut manifestè l. 2. *in fin.* l. 3. *Cod. Ut lité pend.* Ubi vel poenâ ignominiae, & comminatione damnationis minatur ei, qui hoc supplicare tentavit. Imo causæ & lites transactionibus legitimis finite resuscitari Imperiali rescripto non debent, l. 16. *Cod. de Transact.* Et quid ni? dum spreto justo appellationis tempore, quo sententia nondum rem fecerat judicatam, omnem ulterius agent-

agendi perdidit suâ culpâ occasionem. *I. 1. Cod. De his qui propt. met.*, quæ tamen sub hâc limitatione accipi velim, quod cuncta hæc ob-
tineant nisi expressè constet hanc esse explicitam Principis voluntatem,
tum enim quum hæc modò sit civilis constitutio, suâ auctoritate ei
vel derogabit, vel de eâ dispensabit hoc in casu, quum omni *Lege Ci-*
vili summus *Princeps solitus*, semper has mutare & corrigerem vales-
bit *I. 31. D. de Legib.* Magnum quoque ex hâc lege emolumentum
capiunt, in quorum favorem aliquid constituere Judices, quam-
vis proinde id ipsis non competenteret; veluti si quisquam condicio-
ne servus olim fuerit, jam vero libertinus, ab Judice fuerit lata
sententiâ pro ingenuo agnitus, reverâ ille gaudebit nomine inge-
nuî, atque pro tali habendus erit (non aliter quam is qui statim
ac nascitur liber est neque manumissus in utero *Princ. Inst. de Ingen.*)
per *I. 25. D. de Stat. hom.*, ubi ipsa hæc regula pro hujus rei causâ ad-
jungitur, cui proinde omnino innititur. Quemadmodum enim Ju-
dex judicans non judicatum, quum sit judicatum, judicatum re-
scindit, *I. 1. D. qua Sent. sine app. resc.*, ita & prius ob eandem ra-
tionem præstat. Atque ob hæc etiam sententia lata patronum fa-
cit longe majori vi quam ipsum id præstaret juramentum factum,
I. 14. D. de Jure patron., atque rursum non poterit esse patronus si
contra eum fuerit judicatum. *I. 8. §. 1. D. De ius voc.* Imo quoque
hinc Judex jus planè dicit, dum aliquem, qui ad alium non perti-
nebat, suâ sententiâ ad eum pertinere facit, ut constat ex *I. 3. D.*
de Agnosc. *G. alend. lib.* & sive quis filius sive non fuit ejus, qui mu-
hierem ex se prægnantem negat, tamen ejus filius erit. *I. 1. §. ult.*
D. de Agnosc. *G. alend. lib.* Tandem & hinc non ægrè unusquisque
concludere permittet, quod inde non ipse Judex, ubi semel suum
rulit de re quâdam debito modo judicium, postea vel emendare,
vel mutare possit; quoniam Judex esse hoc respectu definit &
omni suo judicio jam abundè aded functus est, ut de eâ re nun-
quam iterum possit judicare *I. 55. I. 56. D. de Re Jud.*

T H E S I S XI.

Verum de his pro meo modulo satis; negotium urget, ut brie-

viter quoque de variis illis agam casibus, ubi hæc regula vim suam vel non sortitur, vel non exsequitur: veluti primò omnium obtinebit si ipsi rei judicatæ sit renunciatum, ut liquet ex l. 7. §. 14. D. de Patt. Ubi conceditur unicuique paciscendi potestas super tali re, quæ propriè loquendo ad Prætorum pertineret edicta. Sed suo favore modò ibidem, huic suo juri renunciarunt, his forsan vexari nolentes, quoniam non de adeo magni momenti rebus agi inde pater, quod intra res familiares limitetur. Tum ergo non adeo vim suam hæc amittit regula, quam quod modò liberalis de ea dispensatio fiat, & l. 7. §. 13. d. T. bonum habetur patrum de judicato, quod tantum ibi contingit ob renunciationem, quam ipse suo juri facit; nullus enim invitus beneficium accipit. l. 69. D. de R. I. & de suo agere dominis & disponere pro lubitu potest, dummodo id non fiat Reipublicæ damno. Si autem pars victrix judicio huic suo renunciaret juri, concederetque parti victæ adversæ restaurare actionem, illaque tum iniquitatem demonstrare possit, quæri posset, quid sit juris? & respondendum arbitrantur multi quod reverâ hoc valeat. Secundo, quando is qui pro tribunali judicio triumphavit non executus est suum jus intra spatum triginta completorum annorum, putant magni Jcti quod pereat efficacia & fructus rei judicatæ; adeo ut si post tam ingenitem annorum decursum nondum suo functus munere sit in judicati executione, possit contrarium iterum concludi & judicari; quia forsan considerari potest præscriptione tanti temporis alienatum esse ipsum jus atque ita restitui nova super eo lis. Nituntur illi l. 5. D. de In lit. jur. l. 169. §. 8. D. de R. I. Rursum ubi contingit per rem judicatam tale quid futurum, quod naturalem tolleret obligationem, tum omnino limitanda hæc regula erit: ut apè concludere licet ex l. 60. D. de Cond. Indeb. ubi videre est, quod ille, qui verus est debitor (id est, qui naturaliter ad solutionem tenebatur & obligabatur) si post item contestatam, pendente tamen hactenus judicio, aliquid solverit alteri, cum quo item tum temporis exercebat, id postea nullo modo posset repetere; licet vel vinceret vel vinceretur: unde res ea judicata, licet per eam sit absolutus ab suo debito, tamen ibi nequit naturale illud debitum resolvere. Alias enim ex vi absolutionis repetere idem posset. Nititur vero hæc exceptio l. 1. Cod. de Legib. l. 8. Cod. de Jud. l. 1.

§. 1. D.

§. I. D. Si quis testam. & multis aliis locis ubi continuū inculcatur equitatem stricti juri præferendam. Ergo quia naturalis ratio hic militat pro obligatione naturali non vero pro effectu rei judicatæ , id eo etiam illa huic planè præfertur : Neque minus hæc exceptio obtinebit , quoties de causâ publicâ est actum , tum enim , quia longe majoris momenti res , quippe quæ publicam rem tangit , de novo repertis instrumentis restaurare actionem & his uti speciali edicto permissum fuit. I. 35. D. de Re Jud. & ideo etiam grave omnino exemplo hoc habitum dicitur in I. 4. Cod. d. T. Atque rursum alio modo fieri exceptio contra hanc regulam potest , quando scilicet aliquis ab hærede petierat legatum , nondum apparente testamento , sive hoc non ad manus existente , & interposito jumento affirmârat ex relictis se bonis debere capere ; ubi postea vero testamento invento aperte eum pejerasse constabat , neque ex voluntate testatoris vel minimum quid debebatur ei , placuit Justiniano , ut , licet secundum rem judicatam ei solutum fore petitum legatum , tamen repeti idem ab hærede posse , & rescindi judicatum , imo planè contrarium fore decernendum I. ult. Cod. de Reb. cred. Sancta nempe adeo & inviolabilis habenda est testatoris voluntas , quæ semper , quantum fieri ullo modo potest , debet rata esse : tam extraordinaria pæna deberi visum fuit Imperatori ei , qui perjurio , maximo scelere , ad capienda aliena impio & nefario usus fuerat consilio. Atque inde quoque contra ipsam transactionem legitimè primò factam , repertis posteriori tempore codicillis , dabitur ex iis postea ulterius petendi accipiendique alicui personæ licentia , uti rescriptum habetur in I. 3. §. I. D. de Transact. Quibus omnibus jure etiam adjungitur casus ille , ubi apertissimè constat de iniquitate judicii , quâ usus est Judex ; tum enim eorum , quorum sequentur omnes sententiam secundum jus non obtinebit judicium , sed horum , qui aliter & his contrarium judicaverunt , I. 10. D. de Inoff. test. Verum omittendum minimè erat , quod maximè hujus regulæ efficaciam congruit : Nimirum , quando is qui judicium tulit , de eâ egit re , solenni licet procedendi formulâ , quæ non pertinebat ad ejus officium , id est , ad quam judicandam se non extendebat ejusdem potestas ; quoties enim hoc ab eo factum deprehenditur , id omne quod egit , nullum valorem obtinebit , sed irritum omnino habendum erit , quoniam scilicet factum ab Iudice ,

dice, quod ad ejus officium non pertinet, ratum nequaquam est per l. 170. de R. I. Idemque erit si ultra jurisdictionem suam jus dicere voluit, & extra suum territorium l. ult. D. de Jurisditt. Qui porro adhuc restare videntur citandi, explicandique causas, in quibus ob instrumenta de novo reperta instaurare post rem judicatam litem quis posset, (uti in eo qui viginti quinque annis minor, qui furiosus, prodigus priori similis, qui de libertate controvertit, aut in criminalibus, aut quando ex subsidiariis modò probationibus causam judicaverunt Arbitri, aut si nullà diligentia instrumenta inveniri potuere, aut quum posterius inventum instrumentum perspicuè evincit priorem latam ex instrumentis falcissimis &c.) tantæ molis forent & dilucidare, & definire, & confirmare, ut fixos limites transilire cogerer, quod equidem veritus hisce imponam

F I N E M.

C O R O L L A R I A.

I.

Illiterati & juris imperiti Judices esse non possunt.

II.

Ab interlocutoriâ Judicis sententiâ non appellatur.

III.

Lites & controversia ex prescripto Legum, non ex arbitrio Judicis, dijudicari debent.

IV.

Pacto, quo convenit, ut incompetens Judex adiretur, antequam adiutor sit, renunciari potest.

V.

Ab Arbitri sententiâ appellari nequit.

VI.

Judex certa rei sententiam ferre debet, etiam si de incerta quantitate sit actum.

VII.

Judex secundum ea, quæ allegantur & probantur in judicio, non secundum illa, quæ scit ut privatus, judicare debet.

VIII.

Ubi acceptum semel est judicium, ibi & accipiendus est

F I N I S.